

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0260

0258

0264

0254

0269

0249

0309

0209

0359

0159

0759

Ende

Anfang

248

imperatore constantinopolitano et satis pius erat ad Christianos. Quando autem Leo, ejus nominis nonus, sanctus Papa, natione Alemannus, percepit modo in somnibus, impulit constantinopolitanum imperatorem, sepulchrum Domini in Jerusalem a barbaris jam septem et triginta annis dirutum restituere. Unde ad rogatum imperatoris constantinopolitani Daher sarracenicus concessit Christianis, reaeditare templum dominici sepulchri in Jerusalem. Cum magno ergo gaudio ascenderunt Christiani et aedificare super sepulchrum Domini novam ecclesiam incepérunt ad instar prioris, ad cuius restaurationem imperator Constantinus largiter expensas contribuit. Sicque templum sepulchri dominici, quod hodie est, aedificatum fuit anno prae nominato et ante terrae sanctae recuperationem XXV., quae facta fuit per Gethfridum, sicut sequentia declarabunt. Et sicut Judaei et populus Israel duo tantum habuerunt templa sibi succendentia, scilicet Salomonis et Esdrae vel Zorobabel, sic et Christiani duo habuerunt templa, scilicet templum Helenae et illud, quod hodie stat. Primum stetit DCC annis, secundum vero, quod hodie est, stat iam annis CCCCL, cum simus nunc in anno 1488. Templo autem reaeditato cum Christiani more suae devotionis visitarent, non sinebant eos pacifice per loca sancta transire Sarraceni, sed pecunia multabant vel verberibus vexabant, et odium magnum et indignatio inter utrosque fuit. Dominabantur etiam tunc Sarraceni illi regioni et in advenas Christianos fremebant, unde tota christianitas peregrinorum querimoniis commota in ipsos fremebat Sarracenos et eorum jugum, quo nimis diu et graviter premebantur, excutere a se exoptabat. Nam a tempore Hamor, principis Sarracenorum, qui tempore Heraclii imperatoris Aegypti gubernacula suscepit, usque ad tempora Gothfridi, primi regis Latinorum in Jerusalem, qui fuit tempore Heinrici tertii, civitas sancta jugo subdita Sarracenorum fuit, per annos circiter quadringentos nonaginta. Licet enim Heraclius imperator et Constantinus III. et Carolus M. civitatem sanctam et dominicum sepulchrum liberaverint a tanto, numquam tamen a toto, sed semper mansit imperium gentilium in Christianos, quod praefati imperatores alleviaverunt, sed non tulerunt, sed per pacta pacem reformaverint (269 A)

